





48. Q. 13. num. 17. 77.
QVÆSTIO THEOLOGICA,

NUM SPONSIS,
ANTE SOLENNEM IN EC-
CLESIA COPULATIONEM ET BENE-

DICTIONEM CONCUMBENTIBUS, PU-
BLICA POENITENTIA JUSTE IMONATUR?

Cui novissimè alia superaddita,

Ob es eine rechte Ehe sey / wenn ein junger Mann
ein alt Weib nimmt / &c.

*Disputatione publicâ GISSÆ olim
proposita
ab*

1623, 2

AUCTORE PRÆSIDE

B. BALTHASAR. MENZERO,

SS. Theologiæ Doctore & Professore in Inclytâ
Gisfanâ Academiâ Ordinariô,

RESPONDENTE

M. JOHANNÉ REINEKERO,

Frischbrunnensi Hasso.

*Nunc verò ob materia raritatem, jucunditatem
atq; utilitatem quartâ vice recusa.*

WITTENBERGÆ,

Typis & Impensis JOH. BORCKARDI, Acad. Typogr. 1689.



♀.

ONASTIS THEO GICIA

NIMBRO

ANTE SOLENNEM IN BO

CREIA GONFATIONEM ET FEME

DICTIONEM DONUMENIBUS PI

BICA POBENTIA IUSTE IMPONATIB

Coloniae mensurae

Coloniae mensurae

Coloniae mensurae

Coloniae mensurae

ALTONA BRASDE

BEAETHASAR MENNERO

ALTONA BRASDE

ALTONA BRASDE

ALTONA BRASDE

MJOLLAVNE RINEKERO

ALTONA BRASDE

ALTONA BRASDE

ALTONA BRASDE

ALTONA BRASDE

ALTONA BRASDE

ALTONA BRASDE

3

Handwritten scribbles





QVÆSTIO THEOLOGICA.

Nūm Sponsis, ante publicam in Ecclesia
copulationem & benedictionem concumbentibus,
publica pœnitentia justè imponatur?

THESIS PRIMA.

Gravissima est exhortatio illa D. Pauli Coloss. 3.
v. 14. *Omne quodcumq; facitis in verbo, aut in
opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu,
gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Et I. Corinth. 14.
v. 26. *In Ecclesia omnia fiant ad edificationem: & vers.
ult. Omnia honestè, & secundum ordinem fiant.* Et me-
ritò commendatur diligentia primitivæ Ecclesiæ, in
conservanda disciplina, & in corripiendis ejus trans-
gressoribus. Quæ quamvis rigidior interdum nonnul-
lis visa fuerit, experientia tamen ostendit, maxima se-
cuta incommoda, postquam negligi cœpit & intermitteri.

2. In nostris Ecclesiis etsi rariora exempla occur-
runt solennis excommunicationis, tamen justa severi-
tas exercetur adversus delinquentes contra sextum præ-
ceptum; quia antequam cum Ecclesia reconcilientur,
& in ejus gremium recipiantur, publicè peccata sua co-
ram tota Ecclesia jubentur confiteri, eorumque roga-
re veniam, & promittere emendationem.

3. Ubi mota à quodam haud ita pridem fuit quæ-
stio, *ecquid sponsus, qui ante solennem benedictionem cum
sponsa consuevit, ad publicam deprecationem cogi debeat?*

A 2

4. In

4. In cuius negativam sententiam ille descendens, hunc Syllogismum proposuit: *Quod lege divinâ non prohibetur, sed magis exemplis sacris approbatur, illud absq̃ in Deum peccato perpetrare licet. Atqui ante celebratas nuptias (festivitatem intellige) cum desponsatâ concumbere, lege divinâ non prohibetur, sed magis approbatur. Ergo illud absq̃ in Deum peccato perpetrare licet. Et per consequens, ubi nullum peccatum, ibi nulla pœnitentia locum habere potest.*

5. Assumptionem probat ex distinctione inter sponsalia de futuro, & de presenti: & hac ait esse perfectum conjugium in oculis Dei atq̃ inferre obligationem conjugalem; undè sponsa verè sit & dicatur uxor, Matth. 1. *quam si quis comprimat, adulterii pœnam incurrat, Deut. 22. Allegat etiam regulam vulgatam: Non concubitus, sed consensus matrimonium facit: item illud Augustini: Cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione cognoscitur: & provocat ad exempla Patriarcharum, & aliorum in V. T. Genes. 16. v. 3. 4. c. 24. c. 29. v. 20. 21. I. Samuel. 18. v. 27. c. 25. v. 40. item Ruth. 3. v. 12. 13. Tob. 7. v. 15. & seqq. Joh. 15. v. 17. 18.*

6. Et licet non eat inficias, morem hunc in Dei populo viguisse, ut virgines aliquando non statim ad viros deducerentur, sed inter sponsalia & nuptias tempus aliquod intercederet, Deut. 20. v. 7. & c. 22. v. 23. 25. Matt. 1. v. 18. 20. putat tamen eum morem non fuisse perpetuum, idque opinatur probari ex Patriarcharum & aliorum exemplis jam adductis.

7. Quia verò premi se sentit universali consuetudine Ecclesiæ, in qua nuptiarum solennitati præmittitur tridua novorum sponso-
rum proclamatio publica; re-

spon-

spondet, ejus hunc esse finem, ut novum illud matrimonium publicè in solenni Christianorum cœtu omnibus notificetur, personas illas affectione conjugali conjunctas in posterum cohabitaturas, ne lis seu dubium illis, vel illarum liberis de cohabitatione moveri possit, & quia Reipubl. intersit, quinam cum quibus coëant, Heig. libr. I. quæst. 22. n. 6. & quia clandestina sponsalia, & alii contractus clanculum facti, inducant præsumptionem fraudis.

8. Monet autem non esse ignotum: quando statuto vel consuetudine loci contractus non aliter firmus, ac si Archivis publicis inseratur & confirmetur, habendus est, quod æquali ratione tam ante, quam post consummationem contractus confirmatio firmiter peti possit. Sic, inquit, confirmatio hæc, cum in forma benedictionis fiat, post consummationem etiam locum habet, quia benedictio rei consummata & quoque addi potest. Ita in notoriè consummato matrimonio, ubi quis imprægnavit, quam postea ducit, virginem, benedictio eadem iisdem superadditur verbis.

9. Tandem tamen ad sanio rem mentem rediens, fatetur, sponsum, qui matrimonio tantum contracto abutitur, tanquam confirmato, contra Novellam Leonis, & alias bene constitutarum Rerum publicarum ordinationes delinquere: & ab illis, quorum ordinationes transgressus est, arbitrariâ pœnâ puniendum esse.

10. Et hoc respectu, inquit, intuitu scilicet ordinationis politica sibi plenum jus esse sua sponsa, sponsus firmiter ante benedictionem sacerdotale affirmare non potest. Quæ admodum etiam quamvis, sponsalibus de presenti contractis, matrimonium quoad Deum omnibus suis modis perfectum dicatur: tamen quoad nos perfectum non habetur: quia publica benedictione non est confirmatum; quam ra-



tione nostri omnem perfectitudinem matrimonio addere bonum publicum dictavit.

II. Et denique, his firmiter positis absq; omni hesitatione concludendum ducit: Sponsum qui ante solennem Ecclesie benedictionem cum sponsa consuescit, peccare quidem, sed transgressione legis civilis civiliter, non verò in Deum principaliter: cui poenitentiam publicam non nisi injuriã injungi, perspicuè se demonstrasse censet.

12. Nos cum intelligamus, impositam esse nobis necessitatem defendendi nostram sententiam in tractatu nostro de conjugio p. 170. & seqq. Edit. Gissensi Anno 1612. propositam, (quam ad examen vocare politico illi, nobis alioquin ignoto, visum fuit,) & praxin nostrarum Ecclesiarum ab injusta accusatione vindicandi generalia quaedam capita præmittemus, quorum cognitio necessaria est ad totam illam quæstionem rectius intelligendam, & solidius explicandam.

13. Ac primò quidem, licet conjugium sit juris naturæ: tamen quia Deus primam ejus institutionem in suo verbo nobis manifestavit, & speciales quasdam leges præscripsit, de prohibitione quorundam graduum, de Polygamia, de Divortio, de conjugio fidelium & infidelium, &c. manifestum est, judicium de causis matrimonialibus ex scripturis divinis, & secundum eas, non esse adimendum iis, qui scripturas ipsas, pro sui officii ratione, in Ecclesia & Academiis tractant, & profitentur, & quorum est informare conscientias, de casibus ambiguis, in ea etiam materiã occurrentibus.

14. Idq; praxis Veteris & Novi Testamenti ostendit. Si quidem in Senatu Seniorum apud Judæos non tantum politici, sed etiam Ecclesiastici præsidebant. Confer.

Deut.

Deut. 17. v. 9. & 1. Esdræ 10. v. 15. Et Christus doctrinam de causa divortii exposuit *Matth. 5. v. 32. & Phariseis*, quæstionem matrimonialem proponentibus, ex primâ conjugii institutione respondit, *Matth. 19. v. 3. & seqq.* itemq; Paulus à Corinthiis rogatus, aliquot matrimoniales quæstiones explicavit *1. Cor. 7. cap.*

15. Videmus idem observatum in primitivâ Ecclesiâ, ut præclari doctores suum exponerent iudicium de matrimonialibus casibus, sicuti constat ex Ambrosio, Augustino, & aliis. Extant etiam in quibusdam Conciliis canones, & in jure Canonico repetuntur, ad doctrinam de Conjugio pertinentes. Et Christiani Imperatores ipsi non dubitârunt etiam Episcopis committere tractationem causarum matrimonialium.

16. Ubi tamen haudquaquam approbamus arrogantiâ Episcoporum Romanensium, sibi solis cognitionem & dijudicationem causarum matrimonialium attribuenti. n: de quâ re alibi disputatur. Quemadmodum & illum Papistarum errorem rejicimus, matrimonium inter propriè & exquisitè dicta Sacramenta numerantium.

17. Sed commendamus Evangelicorum Principum bene constituta Consistoria, quæ constant personis politicis & Ecclesiasticis: Et politicis quidem iudicium penitus relinquitur de pœnis, quæ delinquentibus infligendæ sunt, deq; illis, quæ ad processum judiciale spectant: Quæ verò ad substantiam matrimonii pertinent, & quæ attingunt conscientiam, de iis imprimis Theologi rogati sententiam dicunt juxta tenorem sacrarum literarum.

18. *Secundo*, ex dictis consequitur, conjugium nequaquam habendum esse pro contractu merè civili: Si quidem de eo *speciales* leges traduntur in verbo Dei, ex quibus

quibus conscientia informanda sunt, ubi opus est. Et ostendit ipsa res, nonnullas leges matrimoniales Christianorum Imperatorum desumptas esse ex codice divino. Et non dubitat ipse Imperator profiteri, quod *leges civiles non dedignentur sequi sacros canones*. Ubi nos imprimis intelligimus illos Canones, qui in divinis literis habentur.

19. *Tertio*, distinguendum est inter poenas à politico Magistratu indictas & infligendas, quæ pertinent ad secularem jurisdictionem, & inter excommunicationem, quæ spectat ad disciplinam Ecclesiasticam, & viguit in Ecclesia etiam sub gentilibus magistratibus, quorum invadere jurisdictionem vera Ecclesia antiqua nunquam conata fuit.

20. Dum igitur peccata ligat, aut solvit Ecclesiæ minister, juxta præscriptum Christi *Matth. 16. v. 19. c. 18. v. 18. Joh. 20. v. 23.* non exercet jurisdictionem politicam, sed exequitur id, quod quam maximè proprium est sui officii.

21. Nunc propius intueamur propositam quaestionem: *Ecquid sponsus, qui ante solennem benedictionem cum sponsa consuevit, ad publicam deprecationem cogi debeat.* Peccare, fatetur ille, sed non immediatè in Deum, verum in legem positivam politici Magistratus: unde civili poenæ eum subjacere ait, negans poenitentiam publicam ei injungendam.

22. Atqui constat ex dictis, conjugium singularibus legibus esse à Deo stabilitum, à quibus abire nemo sine peccato potest. Quare omnis peccans contra sextum præceptum, peccat contra ipsum Deum, hujus legis autorem.

23. Libenter autem concedimus, in judicio, quod Dei, secundum rigorem legis, quodvis peccatum mereatur æternam damnationem, quia committitur contra divinam justitiam & majestatem; tamen esse distinctos

poenæ

catorum gradus, uti Christus ipse ostendit in explicatio-
ne præcepti quinti & sexti, *Matth. 5. v. 21. & seqq.*

24. In quæstione igitur de publicâ pœnitentia, tan-
tùm agitur de peccatis enormibus, quibus Deus gravissi-
mè offenditur, conscientia vulneratur, Ecclesiæ datur
publicum scandalum, ad quod avertendum & tranquil-
landam conscientiam, & ne ira Dei contra totum cœ-
lum ingravescat, requiritur seria pœnitentia, publica
confessio, & deprecatio, qualia peccata contra sextum
præceptum sunt fornicatio, scortatio, stuprum, adulte-
rium, incestus, raptus, malitiosa desertio, &c.

25. Quæ peccata licet etiam violent leges civiles, &
in jure civili certæ pœnæ transgressoribus definitæ sint;
tamen quia propterea blasphematur nomen Domini ab
Ecclesiæ hostibus, & gravissimas pœnas attrahere solent,
nisi coërceantur; justum est, ejusmodi homines flagitio-
sos, tanquam putrida membra, à corpore Ecclesiæ præ-
cidi, donec resipiscant, juxta præscriptum Christi *Matth.*
18. v. 17. repetitum à D. Paulo, & exemplo firmatum *1.*
Cor. 5. v. 5. & 11.

26. Quamquam autem ipsimet agnoscimus, pecca-
tum sponsi & sponsæ, ante nuptiarum solennitatem con-
cumbentium, tam atrox non esse, ut illa, quæ *thes. 24.*
enumerata sunt; tamen negari non debet, Deum eo
graviter offendi, & sauciari conscientiam, & Ecclesiam
scandalizari.

27. Deum offendi nullum est dubium; qui est mens
casta, & castâ vult mente vocari, & odit omnem immun-
ditatem animæ & corporis *2. Cor. 7. v. 1.* & ipse in suis legibus
approbavit discrimen inter sponsalia & nuptias, & præce-
pit, virginitatem illibatam usq; ad nuptias custodiri *Deut.*

B

22. v.

22. v. 17. Et in copulatione Adami & Evæ ostendit, sponsam ex ipsius Dei manu (mediate Ecclesiæ ministro) accipiendam esse, ut verè dicatur: *Quod Deus coniunxit, homo non separet, Matth. 19. 6.* Boni igitur ordinis auctor Deus irascitur confusione, & turbationi illius ordinis. Et quò sanctior est ille status vitæ, eò sanctiore animo inchoari & consummari debet. *28. Vulnerari conscientiam vel inde patet; quia rei sponsi, eo nomine accusati, erubescunt factum confiteri, sæpè etiam sub religione iuramenti, & sic peccata cumulant peccans.* Et quò fieri posset, ut conscientia non fauciaretur, quando quis peccat sciens & volens, contra præceptum Dei, contra ordinem Ecclesiæ, contra legem politici magistratus, præbens scandalum publicum, contristans parentes, toras, honoratas familias, & hostibus suis dans occasionem & materiam religionem Christianam traducendi. *29. Scandalizari Ecclesiam, ostendit ipsa praxis, in excommunicatione, dum à sacrae coenæ usu arcentur sponsi prævaricantes: & sponsis non permittitur, quando certò constat, eas esse virginatas, ut virgineo habitu ad Ecclesiam progrediantur. Et solet hoc ipsum publicis tabulis testimoniorum legitimæ nativitatæ inferri, quod mater illius, cui datur testimonium, ornatu virgineo, (non jam loquor de viduis) publicè per plateas ad sacram nuptiarum benedictionem ducta fuerit. Et nota est lex divina, *Deut. 22. 15. Et seqq.* de notis sive signis virginitatis. Quæ praxis Judaica licet in usu apud Christianos non sit, tamen ostendit, graviter contra ipsius Dei legem peccare sponsam, quæ virginitatis florem ante nuptias perdit.*

30. Quare



30. Quare sic concludimus: Quod peccatum contra
legem Dei & interdictum Ecclesiae, & prohibitionem
magistratus, sub comminatione excommunicationis per-
petratur, illud dignum est excommunicatione. At qui
desponsatorum concubitus ante nuptias est ejusmodi
peccatum, quod contra legem Dei, & interdictum Ec-
clesiae & prohibitionem magistratus, sub comminatione
excommunicationis perpetratur. Ergo desponsatorum
concubitus ante nuptias dignus est excommunicatione.

31. Si objicias, multa alia peccata committi, quae
longè etiam graviora videantur, neq; tamen subjici ex-
communicationi eos, qui ea perpetrarunt. Respondeo
paucis. Plurimas & gravissimas extatè comminationes
contra præcepti sexti transgressores, & testatur experien-
tia omnium temporum, in aliis peccatis quasi lento pede
ad vindictam procedere divinam iram, in fornicatione
autem statim sensibilibiter insequi. Et notum est ex histo-
riis, peccata contra sextum præceptum commissa, attra-
xisse universales poenas toti generi humano, ut in diluvio
Gen. 6. v. 2. & amplissimis regnis, ut in bello Trojano, &
sæpè occasionem dedisse ingentibus bellis, undè regno-
rum mutationes secutæ sunt. Quæ consideratio nos mo-
net, non esse extenuandum peccatum illud, de quo jam
disputamus, & habere Ecclesiam rationes satis graves &
firmas ex verbo Dei, quibus suam hanc de publica poeni-
tentia constitutionem tueri possit.

32. Scimus etiam, Ecclesias diversas diversis constitu-
tionibus uti, de quâ diversitate nunc non agimus, sed no-
strarum Ecclesiarum statuta & ordinem commendamus
& defendimus, tanquam conformem legi Dei & praxi
primitivæ Ecclesiae, & valdè necessarium & utilem con-

servandæ disciplinæ & publicæ honestati: Experientia e-
docti quàm sit lapsus facilis ad varia ἀμαρτήματα, ubi fræ-
num laxatur licentiæ juvenili.

33. Certò enim statuimus, & peccatum illud antici-
patarum nuptiarum omninò committi in ipsum aucto-
rem sexti præcepti, quo juxta explicationem Mosis, Pro-
phetarum, Christi & Apostolorum comprehenditur to-
tus ordo & norma conjugii cum omnibus suis legitimis
mediis, in exordio, progressu & consummatione. Ac
proinde judicamus, talem sponsum rapere sponsam ne-
fario ausu ad turpem abusum, qui non eam accipit ex ma-
nu ministri voce & autoritate Dei, cum benedictione
eam tradentis, & Ecclesiæ precibus novos conjuges com-
mendantis. Repetè thesin 27. & 29.

34. Neq; à nobis negatur, etiam reipublicæ interes-
se, ut conjugio suus constet honor & reverentia: sed hoc
non derogat constitutioni Ecclesiasticæ, quò minus & illa
in suo vigore conservetur. Nam & quævis fornicatio re-
pugnat legibus civilibus in Republ. Christianâ, & poenam
civilem meretur: Et nihilominus tamen subjacet etiam
Ecclesiasticæ censuræ, seu publicæ poenitentiae: quam à
poena civili discernendam esse monuimus thes. 19.

35. Porro de discrimine inter sponsalia & nuptias in-
constanter loquitur dissentiens, modo confirmat, modo
negat, asserens sponsalia de presenti esse ipsas nuptias, & per-
fectam inducere obligationem conjugalem, ut statim ad con-
summationem matrimonii agi possit. Quæ tamen disputa-
tio ad præsentem quæstionem ritè applicari non potest, in
qua agitur de desponsatis ante nuptias concumbentibus.

36. Ne quid autem desit veritati solidè & perspicuè
demonstrandæ, ostendam discrimen illud ex ipsis scri-
ptu-

pturis divinis, *Gen. 19. v. 14.* appellantur *generi*, qui accepturi erant filias Lothi *c. 29. v. 20.* Jacobo promittitur Rachel, quam non nisi expleto septennio accepit *Deut. 20. v. 7.* Qvis est homo, qui *despondit* uxorem, & non accepit eam, vadat & revertatur in domum suam &c. *c. 22. v. 23.* constituitur poena viro cum virgine *desponsata* concumbenti, *Judic. 14. v. 7.* Samson mulierem sibi spondit, postea eam *accepturus v. 8.* *1. Samuel 8. v. 17.* Merob *despondetur* Davidi, quæ postea data est Adrieli, *v. 19.* confer etiam *v. 25. & 27. Matth. 1. v. 18.* Maria fuit *desponsata* Josepho (vide etiam *Lucam 1. v. 27.*) sed nondum cohabitaverunt: postea vero jussu divino fuit *assumpta* à Josepho *v. 24.* Manifestum igitur inter sponsalia & nuptias discrimen expresso Dei verbo fundatum est.

37. Idemq; passim etiam conspicitur sub distinctis titulis de sponsalibus, & de nuptiis, in Jure Civili & Canonico: & observatur in universali praxi apud Christianos, ut sponsalia nuptias antecedant: quæ definiuntur *mutua & solennis sponsio, sive mentio & repromissio futurarum nuptiarum.* Vid. Digest. lib. 23. tit. 1. & 2. & Constit. Alexii Comneni num. 3.

38. Idq; ex ipsa re evidenter apparet. Nam Juvenis virginem sibi desponsari petens non hoc petit, ut statim sibi tradatur uxor ad cohabitationem conjugalem, sed petit, ut sibi de præsentì categoricè & firmiter promittatur & addicatur *future* uxor. Undè consensus hic & sponsio est & vocatur *sponsalitiis*, hoc est, qualis inter desponsatas personas requiritur, & est affectio *sponsalis*, non autem *nuptialis sive conjugalis*, hoc est, qualis esse solet inter conjuges à nuptiis cohabitantes. Et oritur quidem hinc efficax obligatio ad nuptias suo tempore celebrandas, &

matrimonium consummandum, sed non statim in præ-
senti, verum ordine legitimo & tempore, communi u-
triusq; partis consensu constituendo.

39. Sponsa igitur certò promittitur in sponsalibus,
sponso *futura uxor*, sed non statim traditur ad usum ma-
trimonialem, verum hoc demum fit in nuptiis. Et pe-
culiaris extat constitutio Alexii Comneni Imperatoris O-
rientalis, qua prohibet, uno eodemq; die sponsalia & nu-
ptias contrahi. Et graviter invehitur in eos, qui inter ju-
venes nequitiam palam & destinato introducere non eru-
bescunt, & contra leges inter se corrumpi sinunt, juve-
numq; animis lascivos amores per pollutam conversatio-
nem ingenerant. Et inter cætera: *Quin & contrahentes*
persona, inquit, *ab intempestivis & indecoris congressibus*
coërcita, castam vitam ducent opportuno tempore, quando
sponsalia nuptiasq; ipsis perfici conveniet, cum sacra invoc-
atione invicem congressura.

40. Sponsus promittit, se virginem, quam petit, con-
stituto tempore ducturum solenniter ad Ecclesiam, & im-
petrata benedictione à ministro Dei, nuptiis solenniter ce-
lebratis, conjugalem ei amorem, benevolentiam, & offi-
cia maritalia fideliter, juxta verbū Dei, præstiturum esse.

41. Sponsa promittit, se fore suo sponso, tempore à
parentibus & amicis solennitati nuptiali constituendo, fi-
delem uxorem & sociam totius vitæ individuum.

42. Quæ mutua sive reciproca sponsio & repromis-
sio confirmatur per sponsalia, deq; ea testes adhibentur
hospites & amici præsentés.

43. Concubitus ante nuptias honestus juvenis, dum
virginem à parentibus sibi petit desponderi, non postu-
lavit, nec in eum pudica virgo consensit, multoq; minus
vel

vel probi parentes vel præsentes amici, vel minister Dei,
qui sponfos copulavit. Quare sponfus ante nuptias spon-
sam sive invitam trahens, sive volentem ducens clancu-
lum & secreto ad thalamum, quam sanctè promiserat se
publicè & solenniter ducturum ad Ecclesiam, & petitu-
rum confirmationem sponsaliorum, & divinam benedi-
ctionem, annon peccat contra Deum? contra Ecclesiam?
contra magistratum? contra parentes? contra totam su-
am familiam? contra sponsam suam? contra sponsionem?
annon præbet scandalum publicum? Et tu negabis, ul-
lum hic esse peccatum? & hic opus esse poenitentia?

boyp 44. In oculis Dei, inquis, est perfectum conjugium.

Resp. Omniscio Deo omnia sunt præsentia *in seipso*: sed
hæc omniscientia divina non tollit discrimina temporum
in rebus humanis, non abolet differentiam sponsaliorum
& nuptiarum, non efficit, ut nuptiæ vel priores sint spon-
salibus, vel planè idem cum ipsis. Ut *improprie* loqui-
tur, qui maritum appellat sponsum, vel matrem famili-
as appellat sponsam; ita exquisita proprietates non est, quan-
do quis sponsum vocat de præsentis maritum, & sponsam
de præsentis uxorem seu conjugem.

*boyp 45. Imò, inquis, ipsa Scriptura ita loquitur, & sponsam
expresse vocat uxorem, & nominat adulterum, qui concum-
bit eum virgine alteri desponsata, Deut. 22. v. 23. Resp. verissimè.
Nam in oculis Dei & vigore divinæ ordinationis & mu-
tuæ sponsionis & virtute efficacis obligationis, sponsa de
jure non minus est uxor sui sponsi atq; si jam solenniter i-
psi tradita & in domum ejus ducta esset. Siquidem inter
personas desponsatas verum matrimonium jam inchoa-
tum est, de quibus etiam rectè usurpatur illud: *Quod De-
us conjunxit, homo non separat.* Nullum igitur dubium,
adul-*

adulterii reum esse, qui vinculum illud divinum ruperit, quod Spiritus Sanctus *fœderis* nomine nobilitavit, *Prov. 2.v.17. Relinquit ducem pubertatis suæ, & pãcti Dei sui oblita est.* Et *Malach. 2. v.14. Dominus testificatus est inter te & uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti: & hæc sociã tuã, & uxor fœderis tui.*

46. Sed noli indè concludere, quia sponsus potestatem sui corporis non habet, ut alii fœminæ adhærescat, nec sponsa sui corporis habet potestatem, ut alii viro jungatur, ergo eos habere potestatem mutuam, ut sibi invicem *ante nuptias* cohabitent. Nam *sponsalium beneficio* personæ desponsatæ plus habere non possunt, quàm quod à sponso petitur, à sponsa promissum, à parentibus approbatum, & à ministro Dei, qui copulavit, confirmatum fuit. Atqui concubitus *ante nuptias* petitus non fuit, nec in eum consensere parentes & amici, multoq; minus fuit à ministro copulante confirmatus. Vinculum igitur conjugii *inchoati* firmissimè constringit desponsatos mutuâ obligatione, ut neuter alterum deserere sine scelere possit: sed potestas nondum concessa illis est cohabitationis conjugalis, quæ nuptiis reservatur cû divina benedictione.

47. Non igitur putabimus, quando in conspectu Ecclesiæ minister Dei postulat mutui desponsatorum consensus declarationem, loqui eum de illo ipso consensu sponsalizio, qui jam pridem fuerat in sponsalibus publicè confirmatus: de quo nemo dubitare potest. Sed quærit de *consensu nuptiali seu conjugali*, nimirum an mutuam sibi invicem fidem dare velint cohabitationis conjugalis, quâ clara & perspicua declaratione auditâ, jubet conjungi eorum dexteras, & eos copulat in nomine individuae & SS. Trinitatis, annexa divinâ benedictione. Atq; hæc demum

demum solennis est novorum conjugum inauguratio, quæ
divinitus illis potestas conceditur sancti usus matrimoni-
alis, cum approbatione & gratulatione totius Ecclesiæ.
Vide Constitutionem Leonis 89. cum notis Dionysii Go-
thofredi: & adde notas ad titulum 1. lib. V. Codicis, qui
est de sponsalibus, & arrhis sponsalitiis & proxeneticis. I-
demq; ad tit. 1. lib. 23. Digest. qui est de sponsalibus. Con-
suli etiam potest in secunda parte Decreti causa 27. quæst.
2. can. 38. 39. & caus. 30. quæst. 5. can. 1. & seqq.

48. Unde agnoscitur peccati foeditas, quando spon-
sus ante nuptias eripit virginitatem sponsæ, cum qua co-
habitandi facultatem nondum accepit. Et adhuc nega-
bis, eum peccare contra sextum præceptum? Qui &
quarti præcepti reverentiam violat, contra parentum vo-
luntatem filiam rapiens ad abusum, quam sanctè pollici-
tus fuerat, & stipulatâ manu confirmarat, publicè ad tem-
plum Dei se ducturum, & divinam benedictionem, unâ
cum ipsa, piis precibus impetraturum esse. Confer Con-
stitutionem Alexii Comneni, in qua & hæc ipsa sententia
habetur.

49. Estne hoc vitæ conjugalis exordium facere ab
invocatione Dei, cujus sanctissimum mandatum pedibus
conculcatur?

50. *Objicis, ante sponsalia si fas fuisse ad Deum preces,
pro impetranda pudica & pia virgine, & actas pro impetra-
ta gratias.* At, inquam ego, perversa precatio & gra-
tiarum actio est, postulare à Deo honestam virginem ad
turpem abusum, cum ignominia divini nominis. Non
enim habitat Spiritus gratiæ & precum in anima impura:
nec in corpore immundo, & fornicante munda anima.
Quod si exordium precum ante sponsalia sanctum fuit, eò

C

tur-

turpior clausula est, quò longius abit à principii sinceritate. Perseverandum in bono usq; ad finem. Non satis ordiri est, finem sua dona coronant.

51. Constanter igitur hæc sententia teneatur, sponsalia & nuptias non coincidere, sed verum & perpetuum inter ea esse discrimen, quale est inter promissionem, & promissi exhibitionem, inter spem & rem, inter Candidatum juris & Doctorem, inter cingendum & cinctum, inter electionem regis & coronationem, inter præsentationem ad officium & confirmationem. Sed absit sophisticæ, & adhibeatur candor in formanda dextra applicatione.

52. Sponsalia ergo pro consummato matrimonio haberi non debent. Nam ne pacta quidem dotalia sortiuntur suum effectum ante peractas nuptias: idq; interdum expressis verbis inferi pactis consuevit, ut à celebratis solemniter nuptiis, demum fiat initium conjugalis cohabitationis. Eodem modo in quæstione de tempore legitimi partus non à sponsalibus, sed à nuptiis supputatio instituitur. Quin etiam *sponsalia* facilius & pluribus de causis per *repudium*, *nuptiæ* autem longè difficilius, & propter solum adulterium atq; malitiosam desertionem, per *divortium* dissolvuntur. De distinctis ritibus in sponsalibus & in nuptiis, nihil affero, de quibus multa eruditè proponit frater noster plurimum honorandus *Dn. D. Johannes Gerhardus*, in *Tomò suorum locorum Theologicorum septimo, de conjugio*: in quo multiplicis doctrinæ & summa diligentia palmam aliis præripuisse, neminem putoram fore invidum, quin libenter fateatur: quem & ipsum per meum latus pungi non inficiabuntur, qui perlustrarint ipsius quæstionem quintam §. 475. & 476. p. 733. Edit. Jen. Anno 1620.

53. Facilis nunc erit explicatio regulæ: *Non concubi-
tus, sed consensus matrimonium facit.* Nimirum concu-
bitus honestus est usus matrimonii, non est ejus causa effi-
ciens. Consensus autem non quilibet, sed legitimus &
plenus, non tantum sponsalitiis, sed etiam nuptialis sive
conjugalis, causa efficiens est matrimonii. Promittitur
quidem in sponsalibus cohabitatio illa mutua, nempe de
futuro, & hic consensus sponsalitiis fundamentum est
consensus nuptialis, & efficacem inducit obligationem,
ut sponsus sponsam, & vicissim, ad matrimonii per publi-
cas nuptias consummationem adigere possit: sed ut sæpe
dictum est, *sponsa non est uxor de presenti, sed est uxor
sperata, promissa, pacta, futura.* Sic Augustinus & Be-
da testantur, à Matthæo & Mose desponsatam dici *uxo-
rem, non quia tunc erat, sed quia futura erat.* Et Iustus in
favorabilibus sponsam dicit haberi pro uxore, in odiosis
non item. Ita Tertullianus lib. de velan. virg. p. 450. edit.
Basil. Anno 1521. *Desponsata, inquit, quodammodo nupta:
tamen inter quodammodo est verum, satis interest.* Eodem
sensu Ambrosii verba accipiuntur: *Cum, inquit, jungitur
puella, conjugium est, non cum virili admixtione, (con-
tra divinam institutionem) cognoscitur.* Sic ipse suam men-
tem aperit Epist. 66. ad Paternum: *Si quis, inquit, despon-
sat à sibi est tradita utatur, ei ritè conjugium vocatur,* Caus.
27. quæst. 2. can. 38. Cui adde etiam 39. qui est Augustini.
*Institutum est, ut jam pactæ sponse non statim tradantur:
ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit
sponsus dilatam, lib. 8. confessionum cap. 3.* Veri enim con-
juges sunt, quos Deus conjungit: qui verò ipsi sese ante
tempus constitutum copulant, sine mandato & promissi-
one Dei, & contra ipsius sanctissimam institutionem, ii ad



Apostolum ablegandi sunt, caput sextum prioris ad Corinthios epistolæ, his verbis concludentem: *Emti estis pretio. Glorificate igitur Deum in corpore vestro & spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Quod Deus nobis utendum non donat aut concedit, cum iniquè rapitur, contra Dei voluntatem usurpatur.

54. Nunc ad exempla Patriarcharum & aliorum progrediamur, quibus suam opinionem stabiliri dissentiens existimat. Ubi generaliter moneo, ex omnibus illis nullum esse, in quo sponsus ante nuptias dicatur cohabitasse suæ sponsæ. Undè patet, omnia esse aliena à præsentis quæstione.

55. Si excipiat, se demonstrare, *discrimen inter sponsalia & nuptias non esse semper observatum*: nihil proficit. Non enim de facto (quod ipsum tamen inde non probatur) sed de jure quæritur. Et quæstio nostra est de sponso ante nuptias cum sponsa consvescente. Impertinenter igitur talia adducuntur: sed tamen singula ordine videamus.

56. Primum est Genes. 16. v. 3. *Sara suam ancillam Agar dedit uxorem viro suo Abrahamo.* Quo consilio & fine, non opus hic repetere. Nuptiæ describuntur vers. 3. quas præcessit consultatio, & consensus vers. 2. & secutus est concubitus conjugalis, vers. 4. Quantum intercesserit temporis inter deliberationem istam vers. 2. & nuptias vers. 3. non exprimitur: istud certum, omnem consultationem de re suscipienda esse priorem ipsâ executione: & sanctum patriarcham bonum ordinem & morem diligenter observasse.

57. Secundum Genes. 24. ubi dicit dissentiens, *quoad Isaacum nulla planè sponsalia contracta, sed statim nuptias*
cele.

celebratas videri. Atqui omnia illic pulcherrimo ordine descripta sunt, ut mirum sit, hominem doctum quicquam hic desiderare. Abraham, Isaaci Pater, mittit servum suum, vers. 2. & seqq. ut accipiat filio suo uxorem v. 4. nempe Rebeccam vers. 51. Quam ille à Parentibus petitam impetrat, & domino suo adducit. Nemo putabit, Isaaco vel inscio, vel invito, petitam fuisse hanc uxorem, cujus pietas nunquam sivit abire eum ab optimi parentis mente & voluntate. Et est ex parte quoque altera consensus parentum & virginis in textu expressus. v. 50. 51. 57. 58. Qui legitimus consensus vera sponsalia facit, licet inter absentes. Ubi vero Rebecca Isaaco adducta fuit, *introduxit ille eam in tabernaculum Sarae matris suae, & accepit eam uxorem, & in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret, v. 76.* Quin solennes, pro ejus loci consuetudine & temporis ratione, nuptias publicas celebravit, nihil est, quod dubitare nos sinat. Nec enim uno die peracta sunt, quæ ibi compendiosè commemorantur, omnia, sed ordine decenti, prout fieri in ædibus tanti Patriarchæ decebat.

58. *Tertium Genes. 29. v. 20. 21. ubi Jacob statim sponsalibus perfectis Rachelem uxorem suam nominat, dicens ad Laban: Da mihi nunc uxorem meam, quia jam tempus est, ut concumbam cum ea. Resp. Serio animo hoc exemplum proponi non posse puto, cum inter sponsalia & nuptias intercesserit totum septennium, v. 18. Serviam tibi, inquit Jacobus ad Laban, pro Rachele filia tua minore septem annis, vers. 20. Servivit ergo Jacob pro Rachele septem annis. Quibus elapsis v. 21. dicit ad Laban: Da mihi uxorem meam (ante septennium mihi promissam) quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad eam.* O castus

stum pectus! quo tenerrimè à se adamatam sponsam toto septennio non attingit, nunc patrocinari jubetur petulantia & lascivia eorum, qui ante nuptias cum sponsis concumbunt.

59. *Quartum* 1. Sam. 18. v. 22. & 27. *conditionata sponsalia Saul inter Davidem & Michal filiam suam contraxit: & statim implet à conditione dedit ei filiam suam uxorem.* Resp. Latet & hinc discrimen inter sponsalia conditionata & nuptias. Neq; putandum est, regem sine solennitate nuptiali filiam Davidi tradidisse uxorem. Quare hinc nihil à regula communi alienum.

60. *Quintum*, 1. Sam. 25. v. 40. 41. *matrimonium Davidis cum Abigail.* Resp. David misit nuntios ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem. v. 39. 40. Quæ consentiens in matrimonium, profecta ad Davidem, facta est illi uxor, v. 41. 42. Sponsalia consensus mutuus confirmat: postea nuptiæ secutæ, non sine solennitate consveta. Nihil etiam hinc apparet contrarium ordini communi.

61. *Sextum.* Porro, inquit dissentiens, *apertum demonstrat discrimen castitatis exemplum Boas; à sponsalibus conditionatis, & de futuro sponso non equè licere sponsam tangere, quam à sponsalibus de presenti, Ruth. 3. v. 12. 13. his verbis: Nec abnuo me propinquum esse: sed est alius me propinquior. Quiesce hac nocte, & facta mane si te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta est: sin autem ille noluerit, ego te absq; ulla dubitatione suscipiam, vivit Dominus: dormi usq; mane. Et verbis cap. 4. v. 10. & 13. Et accepit Ruth uxorem, & ingressus est ad eam.* Resp. Neq; à sponsalibus de presenti, neq; de futuro licet sponsam conjugaliter attingere, ante solennitatem nuptiarum: quia nec in his, nec in illis, comprehenditur mutuus consen-
sus

0
1-
n-
n-
t:
n.
&
1-
il
z-
,
-
li
:
-
s
s
-
e
-
à
3
-
s

lus de concubitu ante nuptias, ut supra evicimus. Et ex-
pressè describitur cap. 4. v. 11. populi gratulatio & benedi-
ctio majorum natu ante deductionem sponsæ in domum
sponsi: *Nos testes sumus, inquit, faciat Dominus hanc
mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Le-
am, quæ adificaverunt domum Israël.* Cæterum non ca-
ruisse periculo consilium, quod Naëmi suggesit Ruthæ,
& hæc amplexa & secuta fuit, c. 3. v. 3. & seqq. ad nostram
quæstionem nihil facit.

62. *Septimum.* Insuper, inquit dissentiens, exemplo
nobis est connubium Tobie cum Sara Tob. 7. v. 25. & seqq.
ubi facta de sponsatione, & pactis dotalibus conscriptis, epu-
lati sunt, benedicentes Deum, vocavitq; Raguel ad se An-
nam uxorem suam, & præcepit ei, ut prepararet alterum
cubiculum, & introduxit illuc Saram, filiam suam. Post-
quam verò cœnaverunt, introduxerunt juvenem ad eam.
Ex quibus omnibus apparet, statim à desponsatione sponsum
connubialem torum ingressum esse. Ut taceam, Tobiam,
qui Raphaëlem angelum comitem & authorem habuit ma-
trimonii, ante adorationem festivitatis nuptiarum, quæ ho-
die vulgò pro nuptiis habetur, torum conjugalem conscen-
disse. Apparet enim ex textu, quod postquam cum uxore
concubasset, miserit comitem Aferiam, angelum scilicet,
cum servis Raguelis in civitatem Rages Medorum, ut invita-
ret Gabelum ad nuptias. Cumq; Gabel ingressus est domum
Raguelis, benedixit Deum &c. Et cum omnes dixissent A-
men, accesserunt ad convivium, sed & cum timore Domini
nuptiarum convivium exercebant.

63. *Resp.* Ut non dicam, hunc librum in Canone non
numerari, pauca annotabo ex ipso contextu, quæ rem to-
tam illustrare possunt. Primò Tobias petit à Raguele fi-
lium

liam Saram sibi desponderi, *vers. 10.* *Secundo* Raguele tandem consentit, eamq; ei promittit, tanquam cognato juxta legem Mosis, *v. 14. 15.* *Tertio*, Apprehendens dexteram filia suæ, dextræ Tobia tradidit, dicens: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobiscum sit & ipse conjungat vos, impleatq; benedictionem suam in vobis, v. 15.* *Quarto*, Accepit chartam fecerunt conscriptionem conjugii, sive pacta dotalia *v. 17.* *Quinto*: Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum. *v. 18.* *Sexto*: Preparatus est thalamus conjugalis. *v. 19.* *Septimo*: Introductus est Tobias ad Saram, *c. 8. v. 1.*

64. Quid hic desideret dissentiens, putans concubium præcessisse nuptias, quæ postea demum solenniter instituta fuerint, consideremus diligentius. Quamquam enim convivium non est pars aliqua solennis copulationis & benedictionis, sed adjunctum externum: tamen nuptiale epulum describitur, *cap. 7. v. 18.* Quare autem ad illud non multi vocati fuerunt, causa fuit metus, ortus ex tristi obitu priorum septem virorum, uti patet ex *cap. 7. v. 11.* Deinde ex textu liquet, prima, & secunda, & tertia nocte Tobiam abstinuisse ab amplexu conjugali *cap. 8. v. 4.* Exactam verò feliciter prima nocte, & adempto metu, convivium magnum instructum fuit *cap. 8. v. 25. 22.* non ut novæ nuptiæ inchoarentur, sed ut cum Deo feliciter inchoatæ hilariter continuarentur: ad quas etiam Gabelus invitatus accessit, *cap. 9. v. 7. 8.* Confer nuptias *Samsonis Judic. 14. v. 17.* per totum septiduum. Quare hic nihil est, quod juvare possit dissentientem ad palliandum peccatum ante nuptias concumbentium: quorum auribus insonare debebant verba Tobia *cap. 8. v. 15.* Filii sumus, inquit, & non possumus ita conjungi, sicut gentes, quæ
igno-

ignorant Deum, Et v. 9. Domine, tu scis, quia non luxuria
causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis
dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula secu-
lorum.

65. Octavum. Simile huic, inquit, dissentiens, vide-
tur Othonielis conjugium, cum Axa filia Caleb consumma-
tum ante deductionem in domum, Josuæ 15. v. 18. Resp. Ver-
ba integra sic habent v. 16. Dixitque Caleb: Qui percusserit
Cariatb Sepher, & ceperit eam, & dabo ei Axam filiam
meam uxorem. v. 17. Cepitque eam Othoniel filius Cenez, fra-
ter Caleb, deditque ei Axam filiam suam uxorem, v. 18. Et
factum est, cum venisset, svasit, ut peteret à patre suo a-
grum, &c. Sponsalia conditionata impleta sunt captâ
urbe. Postea, suo tempore, nuptias celebratas, pro mo-
re populi Judaici, dubitandum non est. Neque enim uno
die omnia illa peracta sunt. Quare nec hinc exculpi quic-
quam potest, quod favere nuptiarum anticipatoribus vi-
deri possit.

66. Lituram igitur postulant hæc dissentientis verba:
Non fuisse morem perpetuum; inquit, supra adducta demon-
strant exempla, nullum scilicet intercessisse interstitium (in-
ter sponsalia & nuptias) quàm quod aliquando ratione di-
stantis loci necessitas interposuit. Contrarium enim elu-
cet ex illis ipsis exemplis, & ex tota Scriptura, & ex anti-
quo more Judæorum & Christianorum. Nam, ut refert
Elias in Thisbi, distincta fuere apud Judæos instrumenta,
unum sponsaliorum, alterum nuptiarum. Et sine hoc
posteriore mulier nupta non habetur pro vera uxore, sed
pro concubina sive pellice.

67. Neque tamen quicquam illud, si maximè probari
posset, faceret ad præsentem quæstionem, ut supra mo-

D

nui,



nui, quæ quæritur de *desponsatis* concumbentibus *antè* nuptias, ubi discrimen inter sponsalia & nuptias prærequiritur: quo sublato, quæstioni illi non esset locus, vel occasio.

68. Porro de fine *trinundine* novorum sponсорum *proclamationis* rectè quidem affirmatur, *quod faciat ad notificationem novi illius matrimonii*: sed finis ille principalis non est, & poterat huic sufficere una proclamatio publica; verùm primarius illius finis est, ut impedimenta, si quæ sint, quæ nuptiis obstare queant, cognoscantur, & si nulla sint, ut piis precibus conjugium hoc Deo commendetur, & confirmetur.

69. Nota etiam confessionem dissentientis, quod *contractus, clanculum facti, inducant presumptionem fraudis*. Hinc enim colligitur, quando sponsus ante nuptias sponsam devirginat, Ecclesiâ nec consciâ, nec approbante, esse illum actum clancularium & non carere fraude & deceptione.

70. Atq; hinc iudicium fiat, quàm impiè huc afferatur regula de contractu civili, quod *æquali ratione tam ante, quam post consummationem contractus confirmatio firmiter peti possit*. Num enim Ecclesia confirmabit, & benedictione sanctâ ornabit clandestinam deflorationem sponsæ, ante nuptias? Peccata pœnam merentur, non benedictionem.

71. Neq; admitti simpliciter potest, quod adjicit, *in notoriè consummato matrimonio, ubi quis prægnavit, quam postea ducit, virginem, benedictionem eandem iisdem verbis superaddi*. Subintellige, quibus piis & honestis conjugibus in solenni copulatione benedici solet. Nam nisi antegressâ peccati confessione, & deprecatione, talibus stu-
pra-

pratoribus benedictio solennis non datur: Resipiscentes
autem à communione sanctorum non repelluntur.

72. Expendenda Politico propono gravissima verba
Imperatoris, in Instit. lib. 1. tit. 10. de Nuptiis, de con-
sensu parentum ita statuentis. *Nam hoc, inquit, fieri de-
bere, & civilis & naturalis ratio suadet, in tantum, ut jus-
sus parentis præcedere debeat.* Et verba Leonis in con-
stit. 86. *Sacra benedictionis testimonio confirmari jube-
mus: adeo ut si qui citra hanc matrimonium ineant, id nec
ab initio quidem ita dici, neq; illas in vita illa consuetudine
matrimonii jure potiri velimus.*

73. Quâ igitur tandem conscientiam concubitus de-
sponsatorum ante nuptias appellatur *honestus?* imò *sancta
actio?* quæ per id, quod presenti tempore exercetur, non de-
honestetur? Absit dicere, inquit dissentiens, quod *fervida
libidine, & effreni impetu, ad concubitum proruant.* Qui
enim mentis sanctitate ex conjugali affectione sunt conjun-
cti, in illos *fervida libido cadere non potest.*

74. Pergit: Et si autem libido dici posset, *licita tamen
illa est.* Si quidem nihil prohibet, quin cum sine primario
conjugii conjuncta esse possit *delectatio secundaria: quia Sa-
lomon præcipit, Proverb. 5. Latere cum muliere adolescen-
tiæ tuæ, & in amore ejus delecteris jugiter.* Et Deut. 24.
conceditur immunitas novello marito, & *vacatio à militia
per annum, ex hac ratione, quo letetur cum uxore sua.* Pau-
lus jubet 1. Cor. 7. *Ne de fraudate alius alium, nisi ad tem-
pus.* Quia conjugium institutum quocumque fuit ad *compescen-
dam libidinem: toties iterandum, quoties illa ob deprava-
tam naturam se exerit, etiamsi cesset finis primarius.* Arni-
seus de jure connubiorum, cap. 3. sect. 7. n. 20.

75. Malè merentur de Republ. qui patrocinantur

peccatis eaq; non tantum excusant, sed etiam in virtutum
censu ponunt, & *precipi* a Deo, & *juberi* non sine impie-
tate asseverant. Abutitur enim is verbo Dei indignissime,
qui rapit illud in sensum adeo perversum, ut cogatur com-
mendare præcocem concubitum desponsatorum ante
nuptias, quo certum est, Deum graviter offendi, & con-
scientiam vulnerari, & scandalizari populum Christia-
num. Neq; dubito, Dn. Arniseum ægerime laturum,
si cognoverit, verba sua de conjunctione matrimoniali,
detorta fuisse ad confirmandam effrenem libidinem, &
petulantiam, & nequitiam, & pollutam conversationem,
ut Alexii Comneni verbis utar. Et putabis y Deum non
indignaturum iis, qui sanctum ipsius nomen & verbum
ita malitiosè assumunt in vanum? *Deus non irridetur Gal.*
9.v.7. Quod enim seminaverit homo, hoc & metet.

76. Annon ipsam Jesu Christi Ecclesiam ludibrio
habent ii, qui solenniter denunciari per Ecclesie mini-
strum curant matrimonii sui tanquam futuram consum-
mationem, quod ipsi jam ante clam consummarunt? Et
annon hoc est illudere Ecclesie, prodire in ipsius conspe-
ctum pro virgine eam, quæ cum sponso jam ante conve-
nit? Quæ etiam fronte, quo & animo, sponsi petent se
per manum & os ministri Ecclesie, tanquam ipsius Dei,
copulari, & novum matrimonium benedici, quod jam
pridem ipsi consummarunt?

77. Respondet dissentiens, *negari consequentiam, Il-*
lusio namq;, inquit, presupponit dolum agentis, ad privan-
dum patientem de commodo aliquo. Et ille illudi simulat à
virginitate dicitur, cui virginitas debetur. Sic illudatur
sponsus, scortum inveniens, qui in virginem consensit. Sic il-
ludatur emptor virginem emere putans, cum mulier à ven-
ditore

ditore sciente venisset, l. ii. §. 5. Act. Emti. At Ecclesie
sponse virginitas non debetur, neq; inquisitio sive cognitio
circa illam Ecclesia competit. Ergo nec simulat à virginitate
Ecclesia illud dicitur.

78. Resp. Non confundimus officia Ecclesie & ma-
gistratus politici, vid. th. 34. Neq; opus est peculiari in-
quisitione circa virginitatem, quando res ipsa monstrat,
sponsam fuisse imprægnatam ante nuptias: Unde publi-
cum exoritur scandalum. Et non soli sponso virginitas
debetur, sed Deo, parentibus, Ecclesie, & magistratui,
ut præter cætera colligitur ex lege divina de notis sive si-
gnis virginitatis, Deut. 22. v. 15. 17. Etsi enim ceremonia-
le illud de vestimentis, in quibus signa virginitatis custo-
diuntur, ad solos Judæos pertinet, & Christianos non o-
bligat: tamen istud morale est, & ad omnes generatim
pertinet, sponsam debere illibatam servare suam virgini-
tatem, usq; dum solenniter sponso adducatur, & trada-
tur ad cohabitationem matrimonialem. Idq; in ipsis quo-
que sponsalibus utrinq; promittitur, ut castitas servetur à
sponso, & sponsa, quorum neuter potestatem sui corporis
habet, à facta obligatione mutua sponsali, & sanctè com-
promittunt, nolle se cohabitare ante nuptias, sed expe-
ctare velle divinam coram Ecclesia confirmationem, &
benedictionem, juxta legem Dei & Ecclesie, à pio ma-
gistratu confirmatam, constitutionem. Unde liquet, o-
mninò illudere Deo, & Ecclesie, & magistratui, & popu-
lo Christiano, quæ pro virgine sese publicè gerit, & virgi-
neo ornatu utitur coram Deo, & sanctis angelis, & in con-
spectu piorum, quæ tamen virgo esse desiit, contra expres-
sam divinam & humanam constitutionem. *Quid sibi vult
corona?* inquit Chrysostomus in Genes. *Ut ostendant*

conjuges, se ad id tempus victores fuisse cupiditarum.
79. Pergit dissentiens. Nec sequitur, inquit, matrimo-
nium jam pridem consummarunt: ergo fronte serenâ be-
nedictionem petere non possunt. Quoniam benedictio sa-
cerdotalis non requiritur ad essentiam conjugii, seu consum-
mationem, sed accedit tanquam confirmatio & testimoni-
um publicum, legitimè, & non clanculum contractarum nu-
ptiarum, Arnif. de connubio c. 3. sect. 12. II. 21. Cujus con-
stitutionis ratio, publicæ utilitatis scilicet, ex Novel. 74.
cap. 4. colligi potest. Quæ sacerdotalis benedictio licet tem-
pore Justiniani incognita fuerit, tamen necessitas tum tem-
poris novæ alicui constitutioni causam dedit, ut, si extra do-
talia documenta nuptiæ fuerunt contractæ, quod tunc à de-
fensore Ecclesiæ coram tribus vel quatuor clericis testatio con-
nubialis conscribi debeat, dicta Novel. §. 1. Qui postea,
quid illis in particulari (non confectis pactis dotalibus scili-
cet) concessum erat, ad universale, amplificandæ potestatis
Ecclesiasticæ gratia, ut fuit mos illorum non infreqvens, id
extenderunt, donec constitutio hæc per Pontificem C. aliter
30. quæst. 5. tanquam in causa sacramentali pro quâ matri-
monium venditatur, & alios Imperatores. Novel. Leonis
89. in benedictionem sacerdotalem commutata est, ut sit te-
stimonium & confirmatio publica, juxta d. Novell. Leonis
verba: Sic sacra benedictionis testimonio matrimonia con-
firmari jubemus. Quare cum sit tantum testimonium &
confirmatio publica, utiq; tam post consummationem matri-
monii, quàm ante eam salvâ conscientia peti potest.

80. Resp. 1. Conjugium non esse propriè dictum sacra-
mentum, ut est baptismus & sacra cœna, quæ duo sunt
Novi Testamenti propria sacramenta, alibi demonstra-
vimus. 2. Neq; unquam probavimus clericorum arro-
gan-

gantiam in amplificandâ Ecclesiasticâ potestate, sed nos
continemus intra terminos, ab ipso Deo nobis in Evange-
lio præscriptos. 3. Quamquam autem benedictio Ecclesiæ
non pertinet ad essentiam conjugii, tamen est necessaria
propter Exemplum Dei, & Ecclesiæ constitutionem, illi
conformem. 4. Nam non illa primum Justiniani tempo-
re cœpit, sed Deus ipse in Paradiso copulavit primos con-
juges, Adamum & Evam, eisq; benedixit *Gen. 1. v. 28. c. 22.*
v. 23. 24. Quod exemplum secuti sunt Patriarchæ, & cæ-
teri pii Judæi in V. T. & multæ extant formulæ matrimo-
nialis benedictionis, ut *Gen. 24. v. 60. Ruth. v. 11. Tob. 9. v. 9.*
20. 11. Et ipse Spiritus Sanctus Epithalamium pepigit Ec-
clesiæ, sponsæ Christi, *Pf. 45.* & omnibus piis conjugibus,
Pf. 127. 128. In Novo Testamento ipse filius Dei factus ho-
mo interfuit nuptiis, *Job. 2. v. 2.* quas singulari benedicti-
one, & miraculo ornavit. Et sæpè de nuptiis in Evange-
lio honorifica admodum mentio occurrit, ut *Matth. 22. v.*
2. Luc. 14. v. 8. Joh. 3. v. 29. c. 21. v. 2. Et Paulus ostendit,
in conjugio esse *mysterium magnum*, *Ephes. 5. v. 32.* nempe
in Christo, & in Ecclesia, ex *Osee 2. v. 19.* ac proinde jubet
nubere *tantum in Domino*, *1. Cor. 7. v. 36.* hoc est, juxta
præscriptum Domini, in ejus nomine & benedictione.
Unde est illud Hormisdæ Papæ, *Caus. 30. q. 5. can. 3. Nullus*
fidelis, cujuscunq; conditionis sit, occultas nuptias faciat,
sed benedictione accepta à sacerdote, publicè nubat in Domi-
no. Canon autem primus istius quæstionis est Evari-
sti Papæ, qui vixisse scribitur circa annum Christi 96. & sic
aliqvot seculis ante Justinianum, & dignus est, qui totus
adscribatur. Sic habet in editione Gregoriana:

81. *Aliter legitimum non sit conjugium, nisi ab his, qui*
Super ipsam foeminam dominationem habere videntur, & à
qui-

quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus, propin-
quioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sa-
cerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à sa-
cerdote benedicatur, & à paranymphis, ut consuetudo do-
cet, custodita & sociata, à proximis congruo tempore petita
legibus detur, ac solenniter accipiatur: & biduo vel triduo
orationibus vacent, & castitatem custodiant. Item: Ita
peracta legitima scitote esse connubia: aliter verò presunta
non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra,
aut fornicationes potius, quàm legitima conjugia esse non
dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota suc-
currerint legitima. Videantur quoq; & studiosè expen-
dantur canones sequentes.

82. Apud Tertullianum, qui floruit ante annum Chri-
sti 200. extat memorabilis illa sententia lib. 2. ad uxorem
p. 483. Undè, inquit, sufficiam, ad enarrandam felicitatem
ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat obla-
tio, & obsignatum angeli renunciant, pater ratu habet.

83. Laudatur igitur meritò vox Synesii Cyrenensis
Episcopi. Mibi, inquit, & Deus ipse, & leges, ipsaq; sacra
Theophili manus uxorem dedit. Vide apud Nicephorum lib.
14. cap. 55. ita loqui non potest sponsus, qui ante nuptias,
non ex Dei manu, non juxta leges, non à parentibus, vel
Ecclesiæ ministro accipit, sed impiè & nefariè rapit suam
sponsam ad turpem & fœdum abusum: remittendus ad
Caus. 32. quest. 4. can. 5. qui tamen non negatur opus habe-
re grano candidi falis.

84. I nunc, & pete confirmationem, & publicum
testimonium sceleris, clanculum perpetrati, contra Deum,
Parentes, Ecclesiam, Magistratum & totum populum Chri-
stianum: quod ne quidem apud saniores gentiles excusa-
tur,

tur, qui & ipsi suas sponfas ab aris accipere consueverunt. Quâ de re apud *Platonem* insignis locus extat *lib 5^o de legibus*, ubi docet, inaugurationem fieri debere per sacerdotes, adhibitis precibus & sacrificiis.

85. Excipit dissentiens: *Licet*, inquit, *seniores Eibnici* auspiciam nuptiarum fecerint à benedictione sacerdotali, de festiuitate nuptiarum illud potius intelligendum est; ex quo nec affirmari, nec negari firmiter potest, benedictionem ante vel post copulam carnalem intercessisse. *Resp.* Stare ea dubitatio non potest cum ritibus nuptialibus, apud *Græcos*, *Romanos* & alios *Ethnicos* adhiberi solitis, de quibus latè differentem consule *Dn. D. Gerbardum de Coniugio* §. 456. 457. 458.

86. Injuriam igitur *Ecclesiæ* facit, qui contra constitutiones eius delinquit. *Quod simpliciter negat dissentiens.* *Non sequitur*, inquit, *lege lata à Ecclesiâ concessum est, sacra benedictionis testimonio matrimonia, ut firma sint, confirmare.* Ergo qui matrimonio infirmo utuntur tanquam confirmato, contra ius *Ecclesiæ* delinquunt. *Transgressio enim legis lata redundat in injuriam legislatoris.* At qui *Ecclesiâ* non fuit *legislatrix.* Ergo in injuriam *Ecclesiæ* non redundat. *Illustrationem addit ab exemplo Imperatoris, Comites Palatinos donantis privilegio coronandi Notarios publicos: Unde tamen non sequatur, quicumq; Notarios se gerunt non creati, eos delinquere contra ius Comitum Palatinorum.* Idem repetit de jure cudendæ monetæ quibusdam *Statibus* concessa: contra quos tamen delinquere dicendi non sint, qui moneta m cudunt, jure eo ipsis non concessa. *Summa huc redit: Sponsum nuptiarum usum anticipantem peccare contra legem magistratus, & arbitrariâ pœnâ puniendum esse.*

87. *Resp.* Legem de benedicendis nuptiis non à po-

E

litico

litico magistratu primum Ecclesia accepit, sed ab ipso Deo, ut supra demonstravi. Quare prolata similia sunt dissimilia, & aliena, nec probare quicquam valent, nec illustrare. Omnino enim ad Ecclesiae ministrorum proprium officium & hoc pertinet, ut nova matrimonia legitime contracta solenniter in Ecclesia confirment & benedicant, juxta Dei institutionem, ut de iis verè dici queat: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* In Dei igitur ipsius nomine copulantur Christiani conjuges, & in Ecclesia benedicuntur. Quem ordinem ab ipso Deo in Paradiso usurpatum, & in divina lege approbatum, & usui Ecclesiae V. & N. T. confirmatum, qui malitiosè violat, quin gravissimè contra Deum & Ecclesiam peccet, quis amplius dubitabit?

88. Atq; hoc intuitu *divinae ordinationis, & Christianae praxeos*, sibi plenum jus esse suae sponsae, ante copulationem & benedictionem solennem coram Ecclesia, sponsus verè affirmare non potest. Et nequidem respectu Dei matrimonium hoc *consummatum* dicendum est, cum sit tantum inchoatum, ut ex supra dictis manifestum est.

89. His igitur firmiter positis & probatis, absq; omni hæsitatione concludendum ducimus, sponsum, qui ante solennem Ecclesiae benedictionem cum sponsa consvescit, peccare gravissimè contra castitatem in sexto præcepto, & contra reverentiam & obedientiam, magistratui & parentibus debitam, & in quarto præcepto mandatam, & perniciosum scandalum dare Ecclesiae, ac proinde non cum injuria, sed justissimè ei publicam poenitentiam & deprecationem coram Ecclesia, quam scandalizavit, injungi.

90. Si quæras, quod nomen illi peccato indendum sit, quod pro communiter dictâ fornicatione, scortatione

ne

ne vel adulterio non habetur: respondeo, nolle me quidem cum Evaristo *cap. 30. quest. 5. can. 1.* appellare adulterium, vel contubernium, vel stuprum; aut fornicationem potius; neque cum Tertulliano mœchiam & fornicationem; non tamen æquo animo ferre eos, qui extenuare & excusare variis coloribus conantur. Pugnat enim cum castitate, quam Deus in sua lege requirit: & incurrit in pleraque præcepta divinæ legis. Prævaricatur sponsus contra pactum sponsaliorum, quo sanctè promisit, se sponsam suam honestè deducturum ad templum in nuptiis. Violat obedientiam, quam debet ministerio Ecclesiæ, magistratui, & parentibus: cum esse deberet sponsæ custos, ipse eam comprimit, devirginat, contaminat, eique eripit id, quod honestæ virgini ipsâ vitâ charius esse debet: mendaciter ipse se gerit pro casto juvene, & sponsa vitiata pro casta virgine. Vides furtivum illum amoris inordinati ignem grassari per totum decalogum, qui proinde extinguendus & reprimendus est severitate disciplinæ, non fovendus & augendus illaudato patrocinio. De conscientia aculeis nihil dico, qui gravissimè pungunt, imminente cruce & afflictionibus.

91. Qvales autem sunt, qui inde generantur, liberi? pro spuris, vel naturalibus, vel vulgò quæsitis non habeo, propter favorem matrimonii; sed tamen pro simpliciter legitimis non censentur, sunt justo præcociores, qui nonnullis in locis ad sodalitia opificum non admittuntur, alicubi etiam excluduntur à publicis officiis & honoribus. Sed hæc disputatio aliud forum requirit.

92. Qvare concludo, verbo Dei & Ecclesiæ constitutioni consentaneum esse, ut sponsis ante nuptias concumbentibus pœnitentia solennis injungatur: ea tamen

moderatione, ut conspiciatur discrimen graduum inter hoc peccatum, & inter alia graviora, quæ contra sextum præceptum committuntur.

93. Et hanc sententiam omnium pie doctorum, & Christianam disciplinam amantium, iudicio, juxta verbum Dei, subjectam esse volo.

QVÆSTIO SECUNDA.

Obs eine rechte Ehe sey / wenn ein junger Mann ein alt Weib nimmt / oder ein jung Weib einen alten Mann?

1.
Der Ehestand ist sonderlich auch mit eingesezt umb Ziehung der Kinder willen / daß dadurch die Erde vermehret / und das Menschliche Geschlecht fortgepflanget werde / Gen. 1. v. 28. Und ist auch verordnet zur auslesch- und Vermeidung allerley ungeziemten Fleischlichen Lüsten und Begierden / davon Paulus schreibet / 1. Cor. 7. v. 2. Umb der Hurerey willen habe ein ieglicher sein eigen Weib / und eine iegliche ihren eigen Mann. Vermahnet hierauff Mann so wohl als Weib / daß weil keines seines Leibes allein mächtig / solte eines dem andern die schuldige Freundschafft leisten / und sich keines dem andern entziehen / es sey denn aus beyder Bewilligung umb des Fastens und Befens willen / v. 3. 4. 5. Aus welchen gnugsam erscheinet / daß die besten Ehen seyn / wenn gleiche Personen / und nicht eine gar alte mit einem jungen in den Ehestand zusammen treten. Similitudo morum est mater amicitiae, und giebt der Herr Matthesius diese Lehre: ein altes Weib / und ein junger Mann / zusammen sich nicht schicken wol / seins gleichen jedes nehmen soll; Wie auch der Poet sagt: Turpe senilis amor, &c.

2. Weil

2. Weites aber heist: Fato connubia fiunt, oder die Ehen
werden im Himmel gemacht / (sano sensu) und sich aber
begiebt / daß ein junger Mann ein altes Weib nimmt / und
contra, so fragt sichs / ob es recht sey und zugelassen?

Darauff ist zu antworten aus Gottes Wort / da er
den Ehestand einsetzet / da spricht er: Es ist nicht gut / daß
der Mensch allein sey / wir wollen ihm einen Gehülffen
machen. Dazu ist demnach vornemlich der Ehestand ge-
schaffen / das eins des andern Gehülffe seyn soll. Adam solte
arbeiten / Haushalten / Regieren / wenn er auch in seiner
Anschuld blieben wäre. Solches würde ihm zu schwer wor-
den seyn / darumb hat ihm Gott eine Gehülffin geschaffen /
und das ist finis principalis conjugii, daß eines des andern
adjutorium und Gehülffe sey / Gott den Schöpffer zu er-
kennen / ehren und anzubeten / auch zu Arbeiten und Haus-
zuhalten. Und ist also vornemlich der Ehestand eingesezet /
daß die beyden Eheleute zusammen Gott erkennen sollen /
welches geschehen kan / wenn sie noch keine Kinder haben /
oder ganz keine haben sollen. Und hierauff spricht Gott
allererst / wachset und mehret euch / seyd fruchtbar und
erfüllet die Erde. Es ist aber offenbar / daß nicht alle
Menschen fruchtbar seyn / und die Erde füllen / das ist / Kin-
der zeugen. Daraus denn folget / daß der Mensch nicht
principalissime darumb von Gott in den Ehestand gesezet /
daß er auch Menschen zeugen sol. Kinder in dem Ehestand
sind eine sonderliche Gabe und Geschenk Gottes / Ps. 127.
Solche Gabe giebt er als einen sonderlichen Segen den
Gottesfürchtigen Ps. 128. Und denen er es gönnen und ge-
ben wil. Umb Adams und Evæ Falls willen / hat Gott
die Fruchtbarkeit nicht auffgehoben / eben so wenig als die
Zusammenfügung eines Mannes und eines Weibes. Der

Ehestand ist ein Mysterium, dadurch Christi Ehe und Liebe vorgebildet ist / welche da nicht bestehet in Kinderzeugen / sondern in herzlichlicher Liebe und Gemeinschaft. Es ist auch die freundliche Gemeinschaft und Gesellschaft der Eheleute ein Bild und Gemeinschaft / der Gegenwart und Anschauen Gottes und der heiligen Engel / darumb sind die Menschen fürnehmlich zur Gemeinschaft im Ehestand erschaffen / daß sie einander sichtbarlich in diesem Leben anschauen / mit einander reden / gleich wie die Himmlischen Heerscharen dort in jenem Leben Gott von Angesicht zu Angesicht sehen / und das ewige Wort / die ewige Weisheit des Vaters hören werden.

Fruchtbarkeit machet keinen Ehestand / wie Unfruchtbarkeit keinen auflöset / sondern die Ordnung Gottes / da er die Menschen in den Ehestand gesetzet / daß sie / als das Ebenbild Gottes / ein gottfürchtig / keusch und häußliches Leben mit einander führen sollen.

Obj. Unfruchtbarkeit ist eine Strafe der Sünden / wie Kranckheit / daraus Unfruchtbarkeit entstehet.

Resp. 1. Gott geschichts / daß schwache Leute die meisten Kinder zeugen. 2. Gott strafft zwar etliche also / daß er ihnen keine Leibesfrucht bescheret / aber hebt gleichwol sein Wort nicht auff: Seyd fruchtbar und mehret euch. Und ändert Gott diß sein Wort nicht umb des Falls der Sünden willen / sondern seines sonderlichen Raths und göttlichen Willens wegen / nach welchem er etlichen Kinder giebt / etlichen nicht. Bey Erschaffung des Menschen ist Gottes Wille in genere gewesen / daß durch sie und ihre Nachkommen die

die Welt vermehret solte werden / nicht eben / daß ein jeder von den Nachkommen alsbald Kinder zeugen solt. Abraham / da er wieder freyete / war 140. Jahr alt / und nam ein Weib umb eines Gehülffens willen in seinem Alter / da kam das Accidens dazu / daß ihm Gott Kinder gab / darauff er vielleicht weniger / als bey Lebtag seiner Saræ gedacht hätte / als da er schon untüchtig zum Kinderzeugen worden. Der Ehestand ist zur Vermeidung unordentlicher Vermischung und Unzucht eingesezet / wie der Apostel saget / Hureren zu vermeiden / habe ein jeder sein eigen Weib / welchen finem man bey seinem altem Weibe erlangen kan / und ist keine Sünde / wenn alte Eheleute / die hinfort keine Kinder mer habe können / mit der Ehelichen Pflicht einander beywohnen / also ist es eben so wenig Sünde / weü eine junge bey dem alten wohnet.

Object. Die Alten nimmit man umb des Geldes willen.

Resp. Man muß im Freyen nicht eigendlich auf Reichthumb sehen / es müssen aber auch die Eheleute nicht so gar mit blossen Händen zusammen kommen. Da nun ein junger Mann arm und verlassen ist / wie solte man es ihm können verdencken / wenn er vermittels des Ehestandes sich begehret in eine gute Nahrung zu setzen? und ist das Gottes Weise und praxis, Arme und verlassene oft durch den Ehestand reich zu machen; hergegen in armuth gerathen zulassen / die nur auff Augenlust und Fleischelust sehen / und deswegen eine junge nehmen. Distingvunt tamen (quod notandum) ut res probat, inter senectam crudam & extremam (ve capularem, qui in viridi ac declinante senectate constituti sunt, illis nuptiarum adytanon sunt occludenda, sed de crepitorum ac capularium silicerniorum nuptiæ non sunt admodum probandæ.

Quæ

QVÆSTIO TERTIA.

An vetulis, sexaginta vel plures annos satis,
matrimonium licitè permitti possit & debeat?

Nonne hoc Deo est illudere, in loco sancto, coram
Angelis, & in conspectu Sacrosanctæ Trinitatis dicere:
crescite & multiplicamini, & replete terram, quando
perspecta est corporis inhabilitas. August. lib. de bono
conjugali c.3. scribit; Matrimonium sine spe prolis con-
tractum, non matrimonium, sed concubitus dicendus.

Uxores maritis lenire debent cor, minuere dolores,
dulcerare curas, ob molem negotiorum defatigatis esse
solatio, Sed numquid extrema vetula hoc potest præstare?

Plato inquit: Neminem debere mori, nisi relinquat
post se aliquem, qui patriæ inservire queat. At qui ejus-
modi vetulam ducit, neminem post se relinquit, & Rem-
publicam privat cive.

Finis matrimonii est mutuuum adjutorium, qui cessat
in sexagenariis foeminis, viribus, succo & sanguine desti-
tutis.

Fornicationum evitatio etiam est finis, unde veteres
conjugium vocarunt Medicamentum contra unctionem,
quod hic abest *Casp. Finck.*

Hæc quidem ita contra senum decrepitorum, maximè
effatarum vetularum nuptias disputantur, cum tamen
expressâ prohibitione divinâ hic destituamur, cumq; con-
jugii ineundi causæ, & contrahentium personarum con-
ditiones, & ætatum differentia plurimum varient, non
potest generalis quædam regula
hic præscribi.

os (†) so





ULB Halle

3

005 030 471



WMA







7.13. num. 17. 77.

THEOLOGICA,

PONENSIS,

NEM IN EC-

ONEM ET BENE-

UIMBENTIBUS, PU-

JUSTE IMPONATUR?

a superaddita,

wenn ein junger Mann
nimmt / &c.

*vicâ GISSÆ olim
fita*

1623, 2

PRÆSIDE

R. MENZERO,

& Professore in Inclytâ

ciâ Ordinariô,

DENTE

REINEKERO,

ensi Hasso.

ritatem, jucunditatem

partâ vice recusa.

BERGÆ,

KARDI, Acad. Typogr. 1689.

